



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

222. An si Conventus, vel particularis religiosus consignaret in Bancho pecuniæ quantantem cum favore, possit ex inde extracta illam distrabi, non obstante Pauline, & inger mobilia, & pecunia ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

non posse mobilia; nam inclusio vnius, est exclusio alterius, ex l. cum Prator. ff. de indic. l. cum maritus, C. de procurat. l. quammis, C. de pignor. & tradit Menoch. conf. 106. num. 314. & sequent. & conf. 1148. n. 13. & seq. Surdus decis. 145. num. 12. & conf. 25. num. 3. cum aliis penes ipsos.

5. Sed his non obstantibus posset aliquis dicere, quod in dicta declaratione sacre Congregationis etiam data sit licentia alienandi bona mobilia: quia, ut optime obseruat Castrus Palaus tom. 2. tr. 12. disp. vn. puncti. 15. n. 13. tota ratio prohibitionis alienandi res mobiles, quae seruando seruari possunt, est, quia inter bona immobilia computantur. Ergo concessa licentia alienandi bona immobilia, consequenter conceditur licentia alienandi bona mobilia; nam, ut dictum est, bona mobilia, quae seruando seruari possunt, bona immobilia reputantur. Et ita hanc sententiam, non adducens tamen hanc rationem, docet in terminis Ioannes Antonius Nouarius in summa Bullarum de alienatione rerum Regularium prohibita, n. 29. vbi postquam supradictam declarationem sacre Congregationis attulisset, ex illa sic infert. Vnde alienatio bonorum in Religione Theatinorum siue omnino, siue per constitutionem census redimibilis, siue per concessionem in emphyteusim potest à Præposito cum consensu duarum partium Vocalium illius domus, cuius bona sunt alienanda, siue sint mobilia etiam pretiosa, siue sint immobilia cuiuscumque qualitatis & valoris, & in quocumque loco existentia, obtenta tantum facultate Præpositi Generalis, non autem Summi Pontificis, aut sacre Congregationis. Ita Nouarius. In quibus verbis, ut vides, non obstante quod in dicta declaratione solum efficiatur mentio de bonis immobilibus; hic author tamen ait idem dicendum esse de mobilibus, quae, ut dictum est, si seruando seruari possunt, inter immobilia numerantur; & ideo in licentia illa alienandi includuntur etiam ista.

6. Restat modò respondere ad argumentum pro contraria sententia adductum. Dico igitur veram esse regulam, quod inclusio vnius, est exclusio alterius; sed limitatur quando eadem ratio militat in exclusio, quae in inclusio, ut tradit Thomas de Thomassetis in floribus legum reg. 148. Menochius conf. 197. numer. 83. ver. Non obstat primo, & neoterici Barbosa, Simeon, & Augustinus, ille in locis communibus lit. 1. num. 17. hic in axiomatibus iuris, axiom. 120. numero 12. Sed in nostro casu, ut clarè patet, eadem ratio militat in bonis immobilibus, ac in bonis mobilibus; ergo inclusionem bonorum immobilium in Decreto sacre Congregationis factam dicendum est non excludere bona mobilia. Sed omnia supradicta disputationis causa dicta esse volo, nam resolutionem huius difficultatis ad oraculum Purpuratorum Patrum remitto.

## RESOL. CCXXI.

Ad quam summam debet ascendere res ut pretiosa dicatur, ad effectum, ut Pralatus illam non possit alienare?

Et an Reliquia Sanctorum non possint alienari ita ut comprehendantur sub bonis mobilibus pretiosis prohibitis, sine debita solemnitate?

Et an possit fieri permutatio ab vna Ecclesia ad alteram absque solemnitate?

Et alij duo casus circa hoc in §. 4. & 5. huius Resolutionis explanantur.

Et tandem notatur non posse Regulares, inconsulta Sacra Congregatione accipere pecunias ad Cambium, vel mutuo cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis.

ris. Ex part. 4. tract. 4. & Misc. 2. Ref. 223.

§. 1. **A**D hoc dubium ita respondet Castrus Palaus tom. 2. d. vnic. puncti. 15. §. 1. n. 2. Quod si inquiras cuius valoris debet esse res, ut pretiosa dicatur? Respondeo, mihi videri centum aureos attingere debere, h. n. sic illas res mobiles alienabiles esse, quae valore centum aureorum non attingunt. Ita illes, quod esset valde notandum, nisi determinasset sacra Congregatio, teste Homobono in consulti. cas. conf. vol. 2. p. 6. respons. 98. & Peregrino in compendio nouissimo nepturum privilegiorum, ver. Alienatio bonorum, in solutio, mobile pretiosum illud censeri quod excedit valorem 25. aureorum.

2. Notandum est tamen hic obiter, primò opinionem asserentem, Reliquias Sanctorum non comprehendendi sub bonis mobilibus pretiosis, prohibitis sine debita solemnitate alienari, probabilem esse, ut aduertit Peregrinus loco citato sub 4. & Bonacina tr. de alienatione disp. 2. q. vnic. puncti. 2. n. 3. 1. quia in Extraxag. Ambrosiose sermo solus est de alienandis bonis temporalibus pretio aestimabilibus: sed Reliquiae non sunt pretio aestimabiles; ergo illarum alienatio non prohibetur ex hoc capite. Sed affirmatiuam sententiam tenet ipse Bonacina, Peregrinus, Castrus Palaus numero 8. & alij.

3. Nota secundo, posse fieri permutationem ab vna Ecclesia ad alteram absque solemnitate. Ita Trucifanus p. 2. decis. 16. & alij, contra Bonacinam de alienatione, d. 2. q. vnic. p. 2. n. 14. Sed ego puto cum Peregrino loc. cit. sub 7. vtramque sententiam probabilem esse.

4. Nota tertio, fieri posse sine debita solemnitate transactionem, remissionem, aut concordiam aliquam de rebus Ecclesiae, in quarum possessione ipsa Ecclesia non existit, quia tunc non alienantur res, quas habet Ecclesia, sed quas sperat sub dubio habere remittere pro alicuius rei certae acquisitione. Ita Castrus Palaus §. 3. num. 2. & alij penes ipsum.

5. Nota quarto, oblationes imagini Regularium factas, praeter vota aurea, & argentea magni valoris, posse alienari per Superiorem sine requisitis solemnitatibus. Ita ex Bonacina Antonius Nouarius in summa Bullarum tit. de alienat. num. 22.

6. Nota quinto, non posse Regulares inconsulta sacra Congregatione, ut patet ex decreto sub die 21. Maij 1624. accipere pecunias ad cambium, vel mutuo, cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis. Ita Homobonus in cons. cas. conf. vol. 2. p. 6. resp. 97. Nouarius loco citato n. 13. Peyrinus in prin. Murim. tom. 2. conf. sit. 8. Urbani VIII. nisi excusaret, ait Lezana in summa qq. Regul. cap. 10. n. 4. aduersus dictum decretum, consuetudo legitime praescripta.

## RESOL. CCXXII.

An si Comensus, vel particularis Religiosus consenseret in Banco pecunia quantitate cum sienore, possit exinde extraxtam illam distrahere non obstante P.alina, & Decreto Sacre Congregationis?

Et an census computetur inter mobilia, & pecunia retrahatur ex redemptione census Ecclesie possit distrahi absque facultate Apostolica? Ex p. 10. tit. 16. & Misc. 6. Ref. 52.

§. 1. **A**ffirmatiue respondet P. Bordonus in Cons. regul. tom. 1. resol. 27. n. 52. Tum quia pecunia exposita negotiationi per contractum locatiuæ, & finito negotio, seu tempore praefixo restituta potest distrahi, cum huiusmodi pecunia sic exposita non habeat perpetuitatem in fructificando, vnde vna ex conditionibus est, ut non possit fieri pactum, Saluo Capitali.

Capituli, ex Sixto V. *Constit. 45. Detestabilis*, quam extendit Naldus *ver. Societas*. Sed bancum dictum sic negotiatur per contractum societatis; ergo huiusmodi pecunia distrahi potest, sicut si daretur particulari personæ, & eo magis cum possit repeti ad articulum reponentis, & sic patet, multum discrepare à censu, cuius pecunia repeti non potest, sed tantum accipi, quando offertur ab eo qui censum vendidit, & in censu adest perpetuitas quæ non in banco. Tum quia sicuti voluntariè exposita fuit lucro, ita illo expoliari potest per repetitionem, quod bancum negare non potest, ac proinde tunc amittit rationem rei pretiosæ, cum non amplius dicatur frugifera ex conditione ipsius contractus, & sic nulla est secunda ratio in contrarium adducta. Nec dicas, pecunia, censu extincto, non amplius dicitur frugifera, ac proinde neque pretiosa; ergo alienari poterit; quia respondeo, pecuniam exponi per contractum census, ut perpetuo sit frugifera; cum non possit repeti ab exponente, utique vera pecunia banci, quod signum est perpetuo non exponi lucro; deinde per pecuniam census emptor emit tale ius, quod computatur inter mobilia, cum fundetur in re stabili, & frugifera. Clem. *exius, de verborum significat. & ibi Gloss. ver. Cuiusque annui*, ius autem, quod competit danti pecuniam ad bancum non est quid immobile, sed mobile, & reuocabile ad nutum dantis. Ita Bordonus, cui ego addo Castrum Palam *tom. 2. tractat. 11. disput. vnic. punct. 15. §. 1. numero 6. Mantica de consuetud. ultim. volum. lib. 9. titul. 9. num. 2.* & alios. Itaque hanc sententiam probant Palaus, & Bordonus, quia non est obligatio in bancis Campforum conferuandi, cum solum ibi ponatur interitum, dum se offert necessitas illam consumendi, sicut enim voluntariè fuit exposita lucro; ita potest repeti, nec bancum potest negare, sicut non negatur, ut patet in banco S. Ambrosij Medionali; restituta autem est res mobilis ut Boerius *suprà*, nec habet rationem rei pretiosæ, cum non amplius dicitur frugifera ex conditione ipsius contractus. Cum igitur huiusmodi pecunia sic exposita non habeat perpetuitatem fructificandi, quantum est ex vi contractus, ut contingit in pecunia exposita in emptione census, debet computari inter mobilia, quæ seruando seruari non possunt. At si hæc ratio valeret, etiam pecunia Ecclesiæ collocata in montibus, seu loca montium, diceretur bonum mobile, ac alienabile absque solemnitate; cum talis pecunia voluntariè collocetur in prædictis montibus, & possit repeti, & non sit perpetuo frugifera, quantum est ex conditione contractus, & ut redditis dicatur res immobilis sufficit ut duret ad longum tempus, nempe ad decennium, vel ad beneplacitum, ut pariter supra ostensum est. Et idem ex hac ratione nouissimè Pater Angelus Bossius in *Mor. Var. tom. 3. titul. 18. §. 6. numero 417.* putat non esse recedendum in casu proposito à negatiua sententia; nam pecunia notabilis quantitatis posita in banco Campforum ( cuiusmodi Lugduni, Genæ, Venetiis, & etiam Medionali bancum S. Ambrosij ) seu cambiis, scenori apud Campores, vel argentarios, seu mercatores, seu actuali negotiationi cum lucro exposita. Hanc enim non nomine mobilitatem, sed immobilium venire, & comprehendi, tradunt Baldus in *cap. cum causa, de re iudic.* Bossius, & alij: quod probatur, quia repositum ad honestum lucrum dicitur in redditu annuo, ut loco citato Simoncellus, dicens esse clatum; annui autem redditus inter mobilia computantur. Clem. *Exius de paradiso, de verb. sign. & larè* supra ostensum est; quare si huiusmodi pecunia sit minoris, non potest alienari sine iudicis decreto, ut loco citato Simoncellus; Si Ecclesiæ, non poterit

alienari sine solemnitate iuxta sacros Canones, & Extrauagantem, *Ambitiosa*: in alienatione rerum Ecclesiæ requisita. Quod magis confirmat Simoncellus, quia bona minoris, & Ecclesiæ, quæ seruando seruari possunt, non possunt alienari non seruatis debitis solemnitatibus, ut de bonis minoris, *leg. 1. & toto titul. ff. de rebus eorum, & de rebus Ecclesiæ. d. Extrauag. Ambitiosa*. Sed huiusmodi pecunia dicitur posse seruando seruari, cum illa res dicatur posse seruari, ex qua fructus percipitur, & nihilominus seruetur. Videtur autem circa dubium, quod huiusmodi pecunia conferuatur, ex eaque fructus percipitur, non minus quam ex possessionibus; & prædiis. Vide etiam Quarantam *versic. alienatio, numero 5.* ubi etiam dicit, pecuniam Ecclesiæ, quæ conferuatur, ut deleruiat, pro locatione ad pompam, iuxta *l. 3. §. fin. cum seq. ff. commodat.* non posse alienari sine solemnitate, & causa; eo quod, cum talis pecunia sit in fructu, connumeretur inter mobilia, vel saltem mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt.

2. Itaque ex omnibus dictis ego puto utramque sententiam circa propositam questionem in titulo resolutionis suam habere probabilitatem, sed an census computetur inter bona mobilia, & pecunia retracta ex redemptione census Ecclesiæ possit distrahi absque facultate Apostolica, vide nostrum Patqualigum in *qq. Canon. Centur. 2. q. 173. per tot.*

Sup. hoc facta in Ref. 19. ex §. vii. lege doctrinam, vers. quamuis autem.

RESOL. CCXXIII.

*An, si quis furatus est librum Historiarum ex Bibliotheca Regularium, si habet animum soluendi pretium duplicatum, peccauerit, & adhuc teneatur ad restitutionem dicti libri? Ex p. 10. tr. 13. & Misc. 3. Ref. 44.*

§. 1. Negatiuè respondet Carolus de Baucio *Miscellaneis Cas. conscientia, tom. 2. opus. 3. questione 284.* Tum quia vile negotium gessit Monasterij; tum quia liber Historiarum de rebus non Sacris parum aut nihil vile affert legentibus, & præcipuè Regularibus qui debent dare operam Theologiæ, rebus moralibus, ac cogitationi rerum sacratum: ergo Superior Monasterij non est rationabiliter inuitus. Ita ille.

2. Sed ego huic sententiæ non adhæreo; nam licet Regulares debeant præcipuè dare operam Theologiæ Scholasticæ, Morali, & Positiuæ, tamen negandum libros Historiarum, parum, aut nihil esse viles Religiosis: nam idem dicendum esset de libris aliarum Scientiarum, quod dicere est absurdum: ergo peccaret quis, & teneretur restituere dictos libros, si illos furaretur ex aliqua Bibliotheca Regularium: nam illos possideret inuito Domino. Et si doctrina Baucij esset admittenda, sequeretur, à fortiori quod si aliquis ex Bibliotheca alicuius Sæcularis furaretur librum v.g. Theologicum, non peccaret, si haberet animum soluendi pretium duplicatum: sed hoc non est admittendum. Ergo.

3. Nec obstat animus largiendi duplicatum stipendium; nam sic plures res furari possent inuito Domino; & res furata quando existat in propria specie restituenda est. Adde, quod in casu nostro, si ille liber in foro facile esset venalis, ad quid furaretur cum duplicato stipendio? Si non facile venalis in foro inuenitur, rationabiliter superior Religionis est inuitus. Ergo, &c.

RESOL.